

exantlatis, per victorias perque trophæa sibi aditu patefacto, amplissimum nobilissimumque regnum, legitimo sibi debitum jure, ingenti virtute, fortitudine, felicitate adeptus esset: quod pristino splendori ac decori, cum immortalis ejus nominis gloria, præpotentem Galliam restituisset; quod inter tot egregia ac fortia illius facta, inter bellorum strepitus, non minus armis, quam clementia cunctorum sibi animos, incredibili præsentium admiratione, perpetua posterorum fama, devinxisset. Ea legatio Regi pergrata admodum fuit, omnibusque humanitatis ac liberalitatis officiis exulta, quibus abunde Henrici III. in Rempublicam benevolentia ac studium enituit. Nullam multis antea annis legationem illustriori lætitiæ significatione a cunctis ordinibus exceptam memorabant: omnium in legatos, uti optatæ pacis nuntios, defixi oculi. Illo in itinere civitates oppidaque everfa, provincias vastatas, regionum ruinas ingentes editas cernere fuit, acerbos dissidiorum bellorumque civilium fructus, in quos mortales vel miseriarum vel felicitatis impatientia devolvuntur.

Prosperè Regi cunctis affluentibus, id accidit, in quo vel hominum scelus & audaciam, vel Dei Optimi Maximi ineffabilem providentiam posteritas miretur. Henrico in Luparæ ædibus regii stemmatis Principibus, aliisque ex nobilitate proceribus stipato, adolescens, Joannes Castellus nomine, ex infima plebe, cerdonis filius, reliquæ turbæ immixtus, regium cubiculum ingressus, advertente nemine, gladio ventrem transverberare est adnixus. Ad Roneum & Montinium excipiendos se inclinanti, dextera gena percussa, densque tantum excussus: reus statim in carceres detruditur. Erat is Jesuitarum alumnus, seque ab iis sæpius audivisse, ajebat: *Regem, quod extra Ecclesiam esset, interficere licere; ac donec a Pontifice probaretur, ei parendum non esse.* In eum, uti majestatis Divinæ atque humanæ reum, a Parisiensi Senatu animadversum: excarnificari, consceleratam dexteram abscindi, a quatuor equis discerpi, in ignem conjectum cadaver in cineres redigi, eosque in auras dispergi, decretum; Jesuitarumque sodalitates, uti juventutis corruptorum, publicæ quietis, Regis, regnique hostium, triduo Lutetia aliisque urbibus ac civitatibus, in quibus collegia obtinerent, abscedere; intra

Henricus
Rex à Jo-
anne Castello
gladio peri-
tur.

Jesuitæ à
Gallia re-
gno expel-
luntur.